...nder.

Załuski Pauli: Praemium meritorum

Ven. Dno Alexandro Joanni May oblatum

PRÆMIVM
MERITORVM

Venerabili Domino
IOANNI ALEXANDRO MAY.

DVM
In Peraugusto nobilissimorum simul ac doctissimorum Hospitum Concursu Artium
MAGISTER & Philosophiæ DOCTOR
PER
Excellentiss: ac Doctissimum Dñum,

D. ANDREAM
LIPNICIVM,
Collegam Minorem, Ordinarium Eloquentiæ Professorem,
RENVNTIARETVR.

A
PAVLO ZAŁVSKI, Artium & Philosophiæ Baccalaureo, amoris & beneuolentiæ ergo
OBLATVM.

Anno à Partu Virgineo, 1646. xv. Calen: Maij.

IN STEMMA
Almæ Academiæ Cracouienſis.



Sceptra Ducem ſignāt, eccur? tu ſceptra prehēdis?
Namq; bonos Patriæ, dant mea ſceptra viros
Curq; crucis veram retinent tua ſceptra figuram?
Namq; Deo. mundos, dant mea ſceptra viros,
Vtq; crucem in ſceptris ſic in cruce ſceptra videbis
Rex dedit hæc, Devs, hæc, Zoile ſceptra time.

Auguſtinus Klen, Studioſus Poëſeos.

VENERABILI DOMINO,

IOANNI ALEXANDRO MAY CRACOVIENSI,

Artium & Philosophiæ

LICENTIATO.

Salutem & omnem felicitatem.

PEr templum Laboris, ad Honoris templum itur. V D. Itaq; precor ex animo, vt qui ad capessendam hanc lauream, animum inclinasti, in hoc etiam labore non deficias; sed frequenti & diligenti literarum studio, hunc Parnassum Sarmaticum velis adornare. Parnassi namq; florum virentium odor, per longè latéq; patentem Poloniam gratus adeó & iucundus diffunditur; vt quidquid in Rempublicam ornamenti deriuari, homines conspiciunt; totum id â Parnasso vernanti Alma Academia Cracouiensi,

duxisse originem ingenuè fateri, non revereantur; Laudata virtus crescit; Crescas vtinam, & ad maiores honorum gradus adspires; insistens vestigijs viri clarissimi Auunculi Tui Senatoris olim Budissinensis; Et quibus maiores tui virtutum inclaruerunt ornamentis, ijs omnibus longo post, se ordine sequẽtes posteros cupiunt inclarescere. Inclarescere facili ratione poteris si á cæptis non desistas, virescente namq; Parnasso virefces simul, dum non solum MAIVS nomine, sed & factis assiduos labores, circa Parnassum sustinendo MAIVS & haberi, simul & videri anhelabis; Recognoscet Te Alma Parens Academia cultorem eximium, dum ingruentibus laborum & solicitudinum procellis, virescere in virtute non desines. Satis igitur præmiorum & honorum referes, dum ab Alma Parente tantum honorem tibi collatum, promouebis. viuas Ecclesiæ, & Almæ Parentis nostræ votis; deniq; Maiorum tuorum satisfacturus desiderijs æternumq; tibi cum Camænis commercium intercedat.

Vestræ D. addictissimus

PAVLVS ZALVSKI, Art: & Philos. Baccalaureus.

O D E

Tricolos Tetrastrophos.

REdi patentis luminis arbiter:
Relinque Musas, linque biuerticis
Deserta Parnassi; & bicolles
Linque domos rigidosq; tractus.
Assume chordam, mellifluum melos
Diffunde pratis, tum virides sinus
Impleto; sed pulsans reuinctus
Frugiferæ citharam Parentis,
Vatem capessas concomitem Orphea,
Intres amænas, Gracia quas tibi
Sedes parauit, fessa posint
Membra suas reuocare vires.
Inuerte gressum, fer celer impetum
Reuise nostros vt socius lares
Nostris virescunt hæc in hortis
Sæpe rosæ & violæ rubentes

Ver

Ver eſt amicum non nimius calor
Adurit, ingens bruma , nec obruit;
Nec toruus autumnum ac opimum,
Auſter aquis nec adurit vdis.
Condigna doctis præmia diuidens,
Vireſcit arbor, nec Aquilonibus
Arbuſta truduntur tenella,
Nec folijs viduantur horti.
Deſcende quæſo, viſere Palladem,
Nunc quæ recenter gaudia percipit,
Certè videbis, quò beatur
Munere non moritura virtus.
Ac vera verò, laus tribui poteſt,
Semper labori; ſic meritis ſua,
Eſt danda merces nec beandi,
Muneribus vacuis labores.
Communis inter, ſic fauor incolas,
Vigere poſsit, præmia dum bonis
Tradentur; ac dum criminoſo,
Parricidæ ferientur ictu,
Conſueuit olim, prælia gentibus,
Bellonæ alumnus? dum daret hoſticis,
Geſtare

Gestare parmas, victor vnquam,
Consimiles niueis pruinis,
Ast ense durum, dum petiit caput,
Et dum feroci, tela recondidit,
In corde; cernit quando frustra,
Parma viro nocet ingruenti.
Tum victor albam, desinit ampliùs,
Gestare parmam; concipit auream,
Insigne quoddam præferendo,
Dona, sui veluti laboris.
Non parma laudi, laurus honos erit
Iam non Gradiui, sors clypeum feret,
Deponet armorum grauamen,
Laurus erit capiti corona.
Conscende fausto, culmina nunc pede,
Assume sertum, laudis adoream,
Compone lites, ac vtrumque
Fæderibus socia æuiternis.
Quando furentes, Mercurius Iouis,
Offendit angues, nuncius ac celer,
Dirupit agmen sic amica,
Fronde suâ patefecit ora.

Ramum

Ramum virentis, corripito arboris,
Intra rebelles, fædera conferas,
Et Scotus & Thomas amici,
Corpora sint duo mens at vna.
Æquè laborum præmia diuidit,
Minerua, quando, te viridi beat
Stipata magnarum cateruâ
Pieridum, redimita serto.
Gaudere fas est, ALMA Parens suum,
Optauit vltro, sistere filium,
Vocare non illam pudet sic,
Nate veni in patrios penates.
Nam quando fesso poplite decides,
Voca parentem: suppetias feret,
Verè prehendes tunc honores,
Quando Parẽs dabit ALMA dextrã.
Dum celsa scandis, tunc aditus patet,
Maiora sperans; culmina, sic nouum
Conscende campum, tunc honores,
Accelerasse nouos videbis,
Si Phæbus ista in tempora contulit,
Laurum virentem, sin sociabilis,

Donauit

Donauit ex lauro coronâ,
Palladij hoc opus est laboris.
Manebit arbor, laurus adest homo
Femella tantam cesit in arborem,
Si lege sunt tantâ ligata,
Laurus adest homo, sic homo arbor.
Cùm laurus adsis, indicium bonum,
Laurum tenendo, laurus opes dabit,
Collum arboris nunc si refringas,
Ecce merum resonabit aurum.
Doctrina multos, vexit ad æthera,
Doctrina multis, nobile contulit,
Per ora nomen dum feretur,
Laudis iton, erit æuiternum,
Natura sin te, doctiloquæ dedit,
Ast docta Pallas, nomen id indidit,
Voceris ex nunc tu IOANNES,
AN SENIO grauis? artibus ne?
Cognoscat ergo, consilio grauem,
Et nostra Mater, cumq; domo tua,
Maturus vt sis, hoc reposcit,
A SENIO veniens IOANNES.

Poema.

IAm quater è summo prospexerat orbe Panōphæus,
Alma Parens; ex quo dederat tibi præmia laudis,
Bis denis vicibus, spatioso luxerat orbi,
Phæbus; tunc iuuenem, meritō sine vidit euntem,
Munere: multa suo Phæbi cum corde putantis,
Mens stetit in dubio; citiùs neu splendida virtus,
Decidat; extemplo properans velocior Euro,
Currit, doctiloquæ dicturus verba Mineruæ.
Dum venit rapidis, ad eburnea tecta quadrigis,
Talibus alloquitur dictis. Attende loquenti.
Munera præclaris factis, quæ sæpiùs ante:
Visa dedisse; modo es proprij non gnara clientis,
Sic reor, in longas decus hoc vis ducere noctes.
Dulcia fatiloqui cùm primùm verba recepit,
Dædala; Te (dixit) sententia fallit Apollo,
Est modus alter ait currus, ac alter honoris.
Improbus atque bonus, simili ratione potitur,
Luce Tuâ: multis pœnas, & præmia tollis.
Munera pro meritis ego do, mens improba longe,
Semper abest; & sic finem dedit ore loquendi.

Interea

Interea ad partem, virgo est conuersa sinistram,
Munera semper (ait) virtus tua clara capesset,
Dona dabunt superi, terris tua fama manebit,
Æqua tuis semper tradentur præmia factis.
Nunc precor ô Superi! vos si mea dicta mouebũt,
Dicite? munus idem cælo, virtutis habetur:
Quod terris, aliudné manet, quod tàm benè poscant
Cœlicolæ, poscant aliud telluris alumni,
Est aliud dicunt superi; sed cuncta capessat
Præmia, MAY cunctis velit nunc cingere pectus
Muneribus; sua dona ferat tellusque polusque.
Omen adest faustum: hic ab aperto tempore dictus,
Mensis adest; placido dum campi rore madescunt,
Dum folijs querceta virent; dum frondibus hortus,
Gaudet; & aggreditur fructus pomona recentes,
Ferre laboranti; non tu florere recuses.
Iudicium graue quando aderit moresque decori
Tempore florigero laudum incrementa capesses,
Collaudata magis; nam surgit ad æthera virtus,
Nescia prædonum, per deuia tesqua viarum
Præproperè currens obstacula multa repellit,
Quaq̃ eat haud cernit, tendit remorantibus Austris,
Non

Non benè si præstans, vanum comitetur honorem
Virtus; præstantem comitetur gloria semper
Virtutem; ac velut illustris dum proijcit vmbram,
Cynthius; errantes contemnens deserit vmbras,
Ista tamen Phæbo, indefessa cohæret eunti.
Irrita vota reor segnis dum præmia poscit,
Ac exinde suum, cumulari poscat honorem,
Solicitos tolerare reformidet vnde labores. malū.
Ergò age macte animo, immodicū non ferre laborē
Desine; nam te istâ Mater ratione vocauit,
Poscit & in gremio MAIVM retinere perenni.
Vnicus ex alijs, verno de tempore mensis,
MAIVS adest, magis, ac homines pecudesq; relaxans
MAIVS ades; tunc MAIVS eris; si MAIVS Aprili in
Floribus incipies campos decorare patentes
ALMA Parens hortus, virtutis flore virescat
Ac ita odorifero vernabit gramine campus
Sis MAIVS factis, sis cum cognomine MAIVS,
Tunc glacialis hyems MAIVM asseret esse virentē.

Sub Felicissimis Auspicijs

Magnifici & Clarissimi Domini,

D. LAVRENTII
SMIESZKOWIC,
Philosophiæ & Medicinæ Doctoris ac Professoris, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Procancellarij, ac Generalis Vigilantissimi
RECTORIS.